Meyer- De Euripidis Bacchabus, 1833

DE EURIPIDIS BACCHABUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE ATQUE CONSENSU
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE OBTINENDOS
IN
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
CONSCRIPSIT

GERHARDUS HENRICUS MEYER
OSNABRUGENSIS
SEMINAR. REG. PHILOL. ET SOCIET. PHILOL.
GOTTINGENS. SODALIS.

GOTTINGAE, MDCCCXXXIIII.
IMPRESSIT C. E. ROSENBUSCH.

Trans. from
D. S.
June 7, 1881.

PRAECEPTORIBUS AC FAUTORIBUS
DILECTISSIMIS

I. H. B. FORTLAGE

PHIL. D. ET AA. LL. M.
GYMNASII EVANG. OSNABRUGENS. DIRECTORI

B. R. ABEKEN

PROFESSORI
IBIDEM CONRECTORI

G. GRUNER

AD AEDEM SANCTAE CATHARINAE
OSNABRUGENSEM VERBI DIVINI MAGISTRO.

D. D. D.

AUCTOR.

Humanae indolis iniquitate nescio qua fieri solet, ut in iudicandis veterum scriptorum, praesertim poetarum, meritis viri, penes quos et ob ingenium et ob doctrinam huius rei arbitrium est, in diversas sententias saepe abierint abeantque hodie. Cuius rei prae ceteris documento est *Euripides*. Ut vero taceam, qui viri et quam varias in partes de Euripide suffragia tulerint, hoc unum addere iuvat: quum ille aliquando ita omnium ore ferretur, ut etiam narratione ista Sicula [1]) et rumore, *κεραυνὸν θεόθεν εἰς τὸν* (Εὐριπίδου) *τάφον κατασκῆψαι* tradente [2]), celebraretur: factum est ut sagacissima Schlegelii elegantia, et aliorum quos ille quique illum iudicando exceperunt auctoritate iam eo pervenerit aetas nostra, ut cum malae notae suspicione multi legant Euripidem, et ob praeiudicatam opinionem ad damnandum egregium illum poetam sint proclives. Ac Schlegelium quidem etiam de Eur. acutum illud elegansque iudicium in medium protulisse quidni maximopere laetemur? Verum etiam dolendum arbitror, quod, quo modo castigari deberet, potius quam quo modo idem defendi posset,

1) Plut. Nicias c. 29. p. 542, C. 2) Plut. Lycurg. c. 31.

bus uti solet dicendi arte demonstrarit. Multa enim ad perspiciendum Eur. ingenium et potuisse eum proferre et prolaturum fuisse existimo, si defensoris partes suscepisset. Quod quum nec ei placuerit, nec Jacobsius egregiam disputationem de Eur. [3]) editam hunc potissimum in finem composuerit, nec in iuvenile conamen cadat, quae acerbius passim quam verius de Eur. monita sunt, ea velle omnino infringere: ad Valckenarii, Lessingii, Solgeri, Pflugkii (praefat. ad Eur. trag.), Goethii quoque (v. W. Mueller, Goethe's letzte literar. Thaetigkeit etc. p. 8 — 9.) et Schilleri dicta provocasse iuvabit, et votum addidisse, ut exsistant, qui nostrum poetam prolixe doceant non adeo saepe Melpomene fuisse destitutum quam sunt qui contendant.

Quod Eur. maiore studio impugnatum quam defensum esse diximus: haec res in *Bacchabus* quoque cernitur. Fuere, qui graviter nostrum scriptorem ob hanc tragoediam inculparent; qui vero egregium opus esse censuere, ut Solgerus et Schlegelius, *digito tantum attigere*, non ea quae exoptanda erat ubertate exposuerunt. Deinde qui edendae et explicandae huic tragoediae curam admoverunt, ne ab iis quidem explanatum scimus, quam praeclare Eur. in componenda ornandaque Baccharum fabula sit versatus. Hinc spes nobis oborta fore, ut de huius tragoediae laudibus disceptantes nec acta retractasse argueremur, nec, si qua in iudicando a vero aberrassemus, Euripidis Manes videremur excitasse.

3) Nachträge z. Sulz. vol. V. p. 335 sqq.

Atque ut, quo tendat oratio, brevi dicamus: quum ab initio id solum proposuissemus, ut *summum tragoediae* expediremus *argumentum*, postea cognovimus, egregiam tragoediae compositionem vix posse dilucide illustrari, nisi antea expositum foret *de Bacchi cultu, quatenus huc pertinet, deque ea, qua Bacchum eiusque thiasum Eur. finxerit, ratione*. Hac igitur altera parte praemissa de Baccharum compositione secundo loco disseremus.

I. De Bacchi cultu, quatenus huic tragoediae explanandae inservit, et qualem noster scriptor Bacchum eiusque thiasum exhibuerit.

Hellenes qua erant indole ad vitae usum proclivi, quum deos, quorum cultum vel a Pelasgis acceperant vel novum addiderant, tales mente conformarent, ut Homerici dii (ii quidem πρωτότυπον quasi mortalium ac familiaritate quadam cum hisce coniuncti) tempore progrediente exsisterent: non adeo tamen a naturae contemplatione erant alieni, quin et illorum deorum religio Pelasgicae originis vestigia retinuerit, et χθόνια quae dicuntur numina atque Bacchus eiusque socii cultu religionis pleno etiam Hellenibus fuerint celebrati. Atque ut discrimen statuam (quantum quidem in deorum cognatorum cultibus discernendis fieri potest): quum et *inferorum deorum* et *Bacchi religio* ex naturae vicissitudinibus commotiore animo percipiendis esset oriunda et mystico cuidam fundamento superstructa, illorum tamen cultus id maxime effecit, ut eveheret mortales naturam intuentes, spemque faceret

immortalitatis; Baccho contra, quaecunque vigent in rerum natura ac fervent et ad naturae dulcedines ex uberrimo fonte hauriendas excitant, condonante hominibus, praesidiumque huius provinciae tenente iucundissimum. Neque vero hoc ita dictum velim ut, quicunque Bacchum celebrabant, illos ab altero illo animi motu ad altiora evehente abhorruisse sequatur. Immo quo Graeci generati erant ingenio ab externa etiam natura mentis animique nutrimenta capessente: vel illum cultum, qui barbararum gentium animos in terra defixos tenebat, reddere quasi coelestiorem assueverunt. Hinc illa Bacchicorum sacrorum cum mysteriis commixtio, hinc sublimis illa, qua Bacchum venerabantur, religio, hinc tragica illa ἔκπληξις et κάθαρσις!

Iam quum O. Müllerum meminerim, quum in mythologia tradenda id omnium primum requiri ad orgia recte intelligenda verissime dicebat, ut tempora exstitisse cognoscatur, quibus etiam Graeci, quemadmodum orientales gentes, animo supra modum agitato abrepti fuerint (cuius quidem rei caussae ex animi natura repetendae sunt) 4): id certe mihi agendum esse duxi, ut, quomodo Eur. hunc humani animi habitum in Bacchabus depinxerit, exponerem. Verum tamen pauca de mythico et historico fundamento praemonere oportet, non quo, quae et melius et fusius ab aliis explanata sunt, ea retractare gestiam, sed ut lectorem commonefaciam fontis, unde totus mythus, tra-

4) Dor. I. p. 290. 386.

goediae subiectus, ortus est, et ut in memoriam ea revocem, ad quae respiciendum Euripidi fuit.

Dionysi cultum a reliquorum deorum multifariam distare constat et plurima servasse, ad quae, quum peculiaria sint, attendere debet qui res Bacchicas attingit. Ac primum quidem Bacchica orgia, licet Pieriis Thracibus et Thebanis mature celebrata essent, tamen serius quam ceterorum deorum sacra per Graeciam divulgata erant. Deinde miro quodam et inaudito afflatu celebrantium animos inflammabant. Mirum dico, quia ad intelligendum difficile est, potuisse veterum gentium, Graecarum praecipue, mentes tali modo excitari, ut orgia celebrando insanirent iidemque religionis pleni essent, ut deum cruentas hostias exposcere fingerent, eundem sanctimoniae plenum beatitudinisque auctorem iactantes. Tum Bacchi cultui id proprium est, quod in una eademque civitate plerumque habuit acerbissimos tam propugnatores quam impugnatores. Denique quum et in Asia et in Aegypto essent, quae Dionysi orgia referrent, et temporis successu Graecis innotescerent: etiam aliena tum vere irrepserunt, tum ocius, quam factum esse putandum, in Graeciam illata esse credita sunt. Hinc explicari poterunt quae apud scriptores tradita et apud Graecos opinione et usu recepta esse scimus. Attamen nobis decurtanda est oratio, ut ad Eur. brevi deducatur. Nec de poetis quidem, qui ante Aeschylum similem ac noster in Bacchicis materiam tractarunt (v. Boeckh. Trag. Princ. p. 299.), quidquam admonere opus est. Parum enim refert, quo modo tractaverint,

quum Eur. ab illis aut omnino discessisse aut certe non pependisse videatur. At de *Aeschylo* pauca afferre iuvat.

Aeschylus (quantum quidem ex fragm. veterumque dictis concludere licet) Bacchi quoque πάθη praeclara qua solet ingenii et artis gravitate celebraverat. Ac de Lycurgea quidem, de Pentheo et Athamante quid probabiliter coniici queat, quum Welckerus exposuerit, vix est quod hanc in rem addamus. Euripidis tamen caussa pauca adiungenda duximus haec: Qualem Aeschylum ex omnibus tragoediis novimus, Pentheum quoque et ceteras quas diximus trilogias ita compositas fuisse consentaneum est, ut et fastu, si ad visum spectes, et in sublime auctis eorum, qui partes agebant, moribus, et singularum cuiusque tragoediae partium ad *plasticae* artis instar exhibitarum splendore essent insignes. Sic in Penthei priore tragoedia, quae *Semele* fuit inscripta[5]), si ad scenicum ornatum respiciamus, quum statim ab initio Cadmi aedes, Iovis fulmine incensae, adumbrarentur, spectantium animi fortasse eo potissimum permovebantur, quod Βρόντης et Στερόπης in στροφείοις collocati aderant[6]), hedera undique, pampinis et thyrsis praesentem Bacchi divinitatem significantibus. Nec non plura ab Aeschylo in ipsam scenam esse admota verisimile est, quae Eur. solummodo narranda curat[7]). Neque tamen apud Aeschylum vividius ac celerius processisse actio-

5) Welcker. Trilog. p. 328. 6) Philostr. Imagg. I, 4. 7) Welcker. p. 331.

nem inde sequitur, quum tribus fere tragoediis ille, una hic rem absolvisset. Quod Welcker. (pag. 334) Lyssam ab Aesch. in scenam prolatam fuisse coniicit, et spectatores summopere debuisse commoveri indicat, non dissentientem quidem ullum habebit, opinor; sed illud doleo, Euripidem hic denuo reprehensum esse, quum teneri deberet, quod Aesch. oculis praebuerit spectandum, id Euripidem audientium cogitationi tam egregie depinxisse, ut, licet non spectantes, tamen intuerentur, nec ad horrorem usque (quod rumore certe de Aeschylo latum scimus) excitarentur [8]).

De Euripide igitur haec probe tenenda existimamus: Perapte primum fabulae argumentum ita digessit, ut quae maxime vulgata et Graecorum praevalente opinione sancita erant [9]), haec in tragoediae formam redigeret omni Bacchicae religionis gravitate commoventem. Qualem igitur Bacchum exhibuit [10])? Huc attendenti summa suborietur admiratio, quod mirum illud Bacchi numen, Protei instar variegatum, clarissima imagine et ad historicam fidem proxima expresserit. Etenim Bacchus quum secundum fabulam, quam Eur. amplexus est, heros esset, alio plane modo atque Hercules et Cadmus id expertus est, ut pro deo

---

8) Cf. Auct. Vit. Aesch. Poll. IV. 15. 9) Creuzer Symb. III. p. 106. 10) De scenico ornatu tam Bacchi quam reliquarum personarum v. Schoenium (de personarum in Eur. Bacch. habitu scenico). Nos ea attingere proposuimus, quae etiam de recentiorum poetarum operibus in disceptationem solent vocari.

mature haberetur [11]), eoque, in quo deos habebant, honore coleretur [12]). Atque ea quidem in re eius cultum fuisse singularem constat, quod, quum in deorum maxime celebratorum numero esset, adeo tamen naturae humanaeque vitae vicissitudinibus adstrictus fingebatur, ut idem vexatus, fugiens, occisus et reviviscens putaretur, et illa Διονύσου πάθη bacchantibus ubique obversarentur. Dionysi cultus orgia agentium mentem ita capiebat, ut ob praesens dei numen aeque atque ipsi agitatum, soluto qui vulgo est rerum naturae ordine, ipsi dum bacchabantur, ad deum eveherentur, ad deum referrent habitum, quo ipsi affecti erant, et ita cum deo coniuncti mira illa patrarent paterenturque. Verum tamen *ex altera parte* divinam maiestatem, utpote deus, mire retinuit, ita quidem, ut thiasum per orgia summopere commovens ipse placidam quietem ageret et super mortalium affectus longe esset elatus. Cuius rei explicationem non inepte petieris ex humana indole ita conformata, ut cessante commotiore animi statu ipsi bacchantes communi vivendi rationi iterum assuescerent, Baccho in ea spatia reverso, quae tanto sublimiora fingebantur, quanto magis ex sola imaginationis pendebant licentia. Hinc etiam orgia patet tragici ponderis plena fuisse. Quippe quum Dionysi, ut Cereris, Proserpinae, aliorum vegeta illa in natura vis esset sanctissima,

---

11) Iam apud Hom. Il. VI, 130. et Hesd. Theog. 940—2. Attamen quid ex Hom. colligi non debeat, audi Lobeck. Aglaoph. p. 297. 12) Creuzer, III, pag. 86.

hominesque ad leges divinitus constitutas revocaret: qui Cadmeorum instar deo adversabantur, in perniciem irruebant, largamque tragici argumenti copiam praebebant.

Iam ad ea, quae in ipsa Baccharum tragoedia occurrunt, accuratius attendamus. Egregie igitur ex iis, quae de Bacchi cultu ferebantur, id elegit, quod et opinione maxime receptum erat et tragicae materiae plurimum afferebat; atque mira arte mythica et historica fabulae elementa (quae iam apud Hom. commixta et temporis progressu confusa scimus) ita proposuit, ut nec aliena aut inepta inferret, et, quae induxit, perapte consociaret. Dionysum praesertim, quem Schoen. *totius tragoediae ornamentum* scite dixit, praeclare depinxit, lusum illum et ironiam eius numini adiunctam ubique fideliter exhibendo. Quod mox breviter exponere iuvabit; quanquam, ut penitus perspicias, cuncta tragoedia legenda est attentius. Thebanum igitur mythum amplexus poeta occasionem nactus est imaginem Bacchici cultus eiusque propagationis vividam adumbrandi, eamque a veterum Graecorum opinione nihil secedentem. Nam etiamsi *Thracius Zagreus* et *Thebaicus* Bacchus primo diversi fuissent, tamen in *Boeotia* Heliconius Cithaeroniusque Dionysi Zagrei Bacchique cultus in unam mythi formam coaluerunt, ut illa regio Graecis mature etiam Bacchicae religionis sedes haberetur[13]), unde per totam Graeciam orgia fuerint divulgata. Thebis demum cultui verisimile est illud adiunctum

13) Muell. Orchom. pag. 384.

fuisse, quod cum Cereris et Proserpinae religione Baccho commune fuit, a scriptore nostro per chori cantus apte dispersum. Cadmi vero, Agavae et Inus quae primitus fuerant notiones, quum a Graecis mox ita mutatae essent, ut ad humanarum rerum similitudinem pro heroe ille, hae pro heroinis haberentur: Eur. in his quoque depingendis fidem servavit. Denique Graecos constat, quae inter ipsorum et peregrinarum gentium deos intercedebat similitudo, hanc ita explicuisse, ut, neglectis quae unam eandemque originem non admitterent indiciis, ad suum deos colendi modum aliena quaecunque conformarent. Quod in Bacchi orgiis similiter factum esse constat. Itaque noster scriptor ad Graecorum opinionem fabulae argumentum religiose accommodavit in iis, quae de Baccho Thebis oriundo (vs. 1 — 3.), de gentibus eius cultui addictis (vs. 13 sqq. 88. 158 sqq. 399. 546 cett. ed. Herm.), de Cybelae, Cereris et Proserpinae religione, quatenus huc spectat (vs. 59. 80. 133. 162 — 4. 272.), finxit. Animadvertendum est autem legenti, quanta arte poeta in describendo illo cultu sermonem variaverit, quam vivida praesertim terrarum, quas permigrasse Bacchus fingebatur, imago delineata sit.

Deduximus tandem orationem, quo dudum animus tendebat, ad Bacchum ex ipsa tragoedia definiendum. Igitur quum Euripidi id agendum esset, ut Bacchi, qualem Graecorum imaginatio formaverat, non modo effigiem cogitationi adumbraret, sed in scenam eum proferret: quomodo id effecit? En Bacchum ita exhibitum, ut, in humanam formam

licet mutatus sit (vs. 4. 22. 54.), per totam tragoediam divina maiestas [14]), numen eminus efficax [15]), beata dei super mortalium affectus elati hilaritas [16]), mystica deinde natura, qua iis quae thiasus patitur ipse praesens adesse fingebatur [17]), consilium denique orgia ubique pervulgandi et Thebarum incolas puniendi, ut haec, inquam, audientium mentibus obversarentur, et quo magis deum praesentem spectabant, tanto τραγικωτέρᾳ ἐκπλήξει [18]) animum haberent affectum. Verum licet mortalem Bacchi formam eum in modum exhiberet, ut (si ad tragoediae actionem expediendam et ad auditores spectemus) divinitatem prae se ferret, eamque tractandi rationem cum Aeschylo et Sophocle communem haberet Euripides, tamen alio artificio (egregio illo, opinor) usus est, ut veram Bacchi exprimeret imaginem. Nempe quum a Baccho omnis actio pendeat, et, qui spectant deum, per totam fabulam cognoscant praesentem: Bacchae, Pentheus, ceteri non cognitum habent, Bacchici

---

14) 326. 1023. 601 — 2. 21 — 2: — καταστήσας ἐμὰς τελετάς, ἵν᾽ εἴην ἐμφανὴς δαίμων βροτοῖς. 15) Egregie vs. 8: δόμων ἐρείπια τυφόμενα Δίου πυρὸς ἔτι ζῶσαν φλόγα — et 11: — ἀμπέλου δέ νιν πέριξ ἐγὼ 'κάλυψα βοτρυώδει χλόῃ· mirum quo Bacchus natus est modum et eam vim, qua per naturam viget, poeta adumbravit. 16) vs. 615. 17) v. praesertim pulcherrimum locum inde a vs. 569. 18) Quod Bacchus per totam tragoediam praesens est, hac in re situm esse caussam existimo, cur in tragoediam non cadat vituperium illud, Euripidem per illusionem, quae dicitur, effecisse quod per θαυμάζειν (Staunen über die höhere Weltordnung) effici debeatur.

agminis ducem rati [19]). Ac de tragoediae filo ex hac fictione prorsus deducendo ut hic taceam, id perpendi velim, quam necessarium hoc artificium fuerit ad Bacchantium mores vivide adumbrandos. Euripidi reputa id agendum fuisse, ut, quae usu recepta erant et religione sancita, in scena illustraret. Iam quum Bacchi numen, ut Cereris et Proserpinae, fingere naturae vicissitudinibus obnoxium Graeci consuevissent idque per cultum in Triétericis illis [20]) et Nycteliis [21]) celebraretur, evenisse consentaneum est, ut bacchantes quemcunque (deo nimirum ipso non praesente!) Bacchi instar vexatum [22]), necatum et reviviscentem fingerent. Itaque Bacchae mire agitatae quum thiasi ducem conspicerent, deum adesse ideo admonebantur, utique quum orgia agentibus omnia in miraculum viderentur abiise. Cuius rei en insigne in hac tragoedia documentum! Quem spectantes Dionysum esse ab initio cognoverunt, is Baccharum choro θιασώτην [23]) sese simulat. Bacchae vero quo sunt erga deum sensu affectae, quum ad deum omnia referant, deumque, ut opituletur praesens, in cantibus precentur [24]): per

---

19) vs. 239 ibique Herm. 20) vs. 137. Müll. Orchom. p. 218. Creuzer Symb. III. p. 166. 21) v. 479. 853. Ovid. Metamorph. IV. 15. ibique interpp. 22) Bacchum fictum esse *vexatum* constat, quoniam et mysticae Bacchi indolis et eorum quae Bacchi cultus multifariam ab adversantibus passus esset memoria suberat. 23) vs. 540. 459. 616. 840 et cett. 24) V. inprimis scenam vs. 568 sqq. qua ad scenicam fraudem (Illusion) nihil legere memini efficacius.

scenarum seriem, quod poeta effici voluit, efficitur, ut spectantes, quae a choro in dei ubicunque locorum versantis gloriam cantabantur, ea ad praesentis Bacchi personam referrent. Quod quantum valuerit ad audientium pectora motu religionis pleno afficiendum vix est cur moneamus.

Ea igitur in re (si ad Bacchi personam respexeris) insignem Eur. artem prodidit, quod, quum mortali forma eum induerit et mortalia patientem fecerit, tamen eius divinitatem reddidit perspicuam.

Iam age ad quaedam attendamus, quae de hac tragoedia iudicari solent ad Bacchi indolem dilucide cognoscendam. Primum quidem quod Iacobs. [25]) dixit: "Nichts ist niedriger und ungoettlicher als die Rolle, welche Dionysus, um den Pentheus zu strafen, in den Bacchen spielt. — Seine Goettlichkeit wirkt nur als physische Kraft," ab eo dissentiendum esse arbitror, numen Bacchi divinum fictione ad cultus mythique Thebani fidem accommodata depictum ratus. Qua in re

---

Διόν. Ἰώ,

κλύετ' ἐμᾶς κλύετ' αὐδᾶς, sqq.

Hic quum *personatus* Bacchus in scena non conspiciatur, vocem tamen grandisonam per palatii corruentis medium ostitim (?) emittat, chori Dionysum ipsum, non *θιασώτην* illum, adesse rati verba poeta tam egregie composuit, ut excitata etiam spectatoribus mira fraude hi de „*magno daemone*" non personato sed per universam rerum naturam vigente cogitarent, maximeque commoverentur. Simili modo vs. 56 — 7. 601 — 2. 607. 628. ambiguitatem admisit peraptam. 25) Lib. laud. p. 390.

ut te habeam consentientem, haec potissimum velim reputari: Quum in universa Graecorum divinam providentiam exhibendi ratione, tum in tragica praesertim arte vim divini numinis deprehendimus non ut apud recentiores, praecipue apud Shakespearium atque Goethium per ipsorum hominum agendi modum potissimum explicari[26]), sed vel reconditiori qualicunque fato adscribi, vel singulis diis ita tribui, ut praesentes rerum gerendarum auctores fingantur. Hinc Μοῖρα, Νέμεσις, Ἀνάγκη, Πεπρωμένη etc., hinc vero etiam Minerva (Soph. Ai.), Mercurius; Vulcanus (Aesch. Prom.), hinc Bacchus in hac tragoedia explicandus. En igitur Dionysum tali modo ab Eur. exhibendum, ut partes secundum veterum sententiam ipsi oblatas ad veritatem proxime expleret. Iam quum ex ingenti eorum, quae hominum animos agitant, campo ea quasi provincia in Dionysum delata esset, ut per delicias ex vegeta rerum natura, vino praecipue hauriendas animos ex vulgari habitu ad laetitiae ebrietatem traheret: deus hoc sibi munus vindicans eiusque tenax, et beneficiorum, quae largitur, divulgandorum appetens, praesens ipse impugnat pro-

---

26) cf. Bohtz, Geschichte der neuern deutschen Poesie, pag. 117 sqq. — Ob christianae demum religionis doctrinam probe intellectam contigit, ut in tragoediis quoque providentiam doceatur sinere quidem ut suam quisque sibi sortem, prout egerit, consciscat, sed summum eandem tenere omnium rerum regimen, eandemque, licet omnes mortalium actiones gubernet, residere tamen in coelis, ut dicam, nec descendere ad mortales punitum, destructum vel servatum.

sternitque adversantes, praesens etiam exhilarat beatque pie ipsum venerantes. Talem igitur Bacchi notionem (quam vix poteram quin admodum ieiune exprimerem, quum multus esse non deberem) noster poeta exhibuit, imaginemque dei tam splendidam depinxit, ut ex hac tragoedia non minus (ne dicam, magis) quam ex statuis, vasis cett. quae aetatem tulerunt cognosci eius natura hodieque possit. Deinde perpendas quoque, qualis secundum *Thebanum* mythum conformandus fuerit, et quanta ex Graecorum religione diis, iratis utique, admixta sit severitas quaedam ad acerbitatem aucta. Hanc quod in illis vss. 795 sqq. 906 sqq. 1056 cett. poeta admiserit, laudi, non crimini ei vertendum arbitror. Atque ut, quod poetam in Baccho praecipue spectasse eximiaque arte effecisse puto, addam, haec tene:

Per universum tragoediae tenorem deus ille cognoscitur forma ac venustate insignis[27]); mollis, tener ac muliebriter fere conformatus[28]), beatitudinis ille ex ipso naturae gremio repetendae auctor[29]), aerumnarum propulsator[30]), cu-

---

27) Callistrat. Stat. c. VIII. ἀνθηρὸς ἁβρότητος γέμων, ἱμέρῳ ῥεόμενος, οἷον αὐτὸς Εὐριπίδης ἐν Βάκχαις εἰδοποιήσας ἐξέφηνε. — Qua specie externa incesserit v. Schoen. p. 10 sqq. inquirentem. 28) vs. 350. θηλύμορφος. 232: ξανθοῖσι βοστρύχοισιν, εὔοσμος κόμην, οἰνῶπας ὄσσοις χάριτας Ἀφροδίτης ἔχων. — 448: πλόκαμός τε γάρ σου ταναὸς — quae quamvis Pentheus convicietur in peius aucta, ita certe Bacchus in scenam inductus erat, ut intelligi posset, unde ille conviciorum caussam peteret. 29) 275 — 82, 137, 413. 30) 378.

ius regnum vino dulce et ad hilaritatem efficax eorum quibus favet pectora leni ipsius afflatu ad iucundam ebrietatem religionis plenam componit [31]), desideriorum ille mitium excitator, chorearum magister [32]), Pacis, Gratiarum, Veneris Cupidinisque socius [33]). Praecipue vero attendas, quomodo poenas exigentem expresserit. Quum ab initio Thebanorum, Penthei praesertim [34]), impietatem puniturum sese prodiderit: ita tamen poenam exsequitur, ut divinam maiestatem retineat omnem. Etenim in ea tragoediae parte, qua nuncius Penthei necem narrat, truculenta quidem illa, sed ad orgiorum fidem expressa, deus ab actione tantum recedit, quantum deum decet etiam eminus vim suam exercentem. At, nonne ipse particeps est ultionis, quum narret nuncius (vs. 1055 sqq.):

τοὐντεῦθεν ἤδη τοῦ ξένου τι θαῦμ' ὁρῶ.
λαβὼν γὰρ ἐλάτης οὐράνιον ἄκρον κλάδον,
κατῆγεν, ἦγεν, ἦγεν εἰς μέλαν πέδον.

Hactenus quidem praesens agit; sed necessarium illud; nec splendidius aut ad commovendum gravius cogitari potest quam totius huius scenae compositio. Vis Dionysi mirifica, qua abietem deprimit, Pentheumque in ea collocat, ita hoc loco depicta est, ut forma eius humana, quae audientibus obversabatur, ob miraculum evanescat et in divinitatem corpore vacantem abeat, cuius praeclara

---

31) 764. 32) 137. 33) 416. 411. 400. 402. 34) 26—7, 39, 45.

sequentes versus documenta praebent. En miram rerum commutationem, per tenerum θιασώτην quem Pentheus opinatus erat excitatam! Ecce regem, qui modo iactaverat (939 — 40):

ἆρ' ἂν δυναίμην τὰς Κιθαιρῶνος πτυχὰς
αὐταῖσι Βάκχαις τοῖς ἐμοῖς ὤμοις φέρειν;

in sublimi suspensum, insania iamiam remittente, Baccharum furori obnoxium, atque pro leone (1134) dilaceratum! En iuga Cithaeronis, aërem, Bacchas Dionysi oculis subrepti praesentiam patefacientes (1074):

— καὶ πρὸς οὐρανὸν
καὶ γαῖαν ἐστήριξε φῶς σεμνοῦ πυρός.
σίγησε δ' αἰθήρ· σῖγα δ' εὔλειμος νάπη
φύλλ' εἶχε, θηρῶν δ' οὐκ ἂν ἤκουσας βοήν.
αἳ δ' ὠσὶν ἠχὴν οὐ σαφῶς δεδεγμέναι,
ἔστησαν ὀρθαί, καὶ διήνεγκαν κόρας.

Ne vero narratione in asperum aucta, e. g. Penthei necis descriptione (1126 sqq.), horrorem oboriri dicas, primum, quid Graecis fuerit βακχεύειν καὶ ὀργιάζειν, perpendas, deinde aliud esse spectare aliud auribus percipere [35]).

At vero quo tendit poeta, quum satis longo sermone (798 cett.) deum *saeve* ludentem facit? Denuo, velim, ad Bacchi numen, quale Graeci ef-

35) cf. Stuart. Antiqq. V. I. p. 27., ubi Bacchi Tyrrhenos punientis divinitas in pictura eo exprimitur, quod mirae transmutationis momentum ob oculos ponitur, fictione sane ingeniosa; sed vividior apud Eur. dei punientis imago.

finxere[36]), animum advertas; tum Bacchi descriptio ut sit aliena tantum abesse perspicies, ut unice vera sit. Etenim quae tandem turpis admissa est indoles in vss. 798. 810. 845 sqq. 918 sqq? Si colloquii summam spectaveris, hanc esse invenies (ut Herm. verbis utar) „*ut iis quae Bacchus ambigua dicit, metus potius et miseratio, quam irrisio aliqua Penthei in animis spectatorum excitetur.*" Poeta, quod voluit, omnino assecutus est, ut in hac scena vanum iactabundi Penthei conamen miseramque insaniam opponeret Baccho per lusum adeo gravissime impietatem punienti. En regem iam in palatio Baccho perniciem irrito parantem (611):

πρὸς φάτναις δὲ ταῦρον εὑρών, οὗ καθεῖρξ' ἡμᾶς ἄγων,
τῷδε πέρι βρόχους ἔβαλλε γόνασι καὶ χηλαῖς ποδῶν,

36) Non potui quin Goethii verba adderem (l. l. p. 9.) „Kann man die Macht der Gottheit und die Verblendung der Menschen geistreicher darstellen als es hier (in den Bacchen) geschehen ist? Das Stück gäbe die fruchtbarste Vergleichung einer modernen dramatischen Darstellbarkeit der leidenden Gottheit in Christus mit der antiken eines ähnlichen Leidens, um daraus desto mächtiger hervorzugehn, in Dionysus." De quibus quoniam ad summi illius vatis sententiam disputare nequeo, pro *opinione* tantum proferam: narrationis quae legitur in Evang. Matth. XXVI. 62 — 64 comparatione cum nostro Baccharum loco (vs. 454 sqq.) facta posse illustrari, per Christi ironiam discerni *mite* illud, quod christiana religio divinitati tribuit, ex Dionysi autem Pentheum illudentis mortalemque se simulantis ironia cognosci *saevam* quandam *asperamque* indolem, quam Dionyso irato inesse Graeci crediderunt.

θυμὸν ἐκπνέων, ἱδρῶτα σώμκτος στάζων ἄπο,
χείλεσιν διδοὺς ὀδόντας.

in quibus ut in seqq. vss. id egregie illustratum deprehendes, quod, qua Bacchus forma mortali inductus est, ea nihil impeditur, quo minus divinitatem suam patefaciat. Ac de Penthei vesania infra pauca addemus. Hic monuisse sufficiat, per lusum illum quo deus utitur regem cognosci prudentia sua adeo non adiuvari, ut mente magis magisque capiatur, et ob impiam calliditatem, cuius vestigia vel per insaniam discernuntur [37]), ruat in perniciem.

De Bacchi thiasò denique ut brevi dicamus, primum quod Eur. leve illud Satyrorum, Silenorum, Centaurorum cett. genus fere ne commemoravit quidem, scite egit. Quorum caterva quamvis a tragoediis primitus non aliena fuisset, tamen temporis progressu ad comoediarum festivitatem delegata fuit; quanquam apud Aeschylum nondum prorsus videtur abrogata.

Qualem igitur *chorum* poeta exhibuit? Id primum teneamus, non temere adesse chorum [38]), si quidem Bacchus cum thiaso suo divulgasse orgia putabatur (v. 56). Advenere Thebas, *Διόνυσον κατάγουσαι* (165), *Φρυγίων ἐξ ὀρέων* (vs. 87. 145.), *ἱερὸν Τμῶλον ἀμείψασαι*. Barbarae quidem feminae quum sint, non tanti hanc rem poeta fecit, ut chorus grave munus, cuius certam quandam

---

37) v. pag. 40. 38) cf. Boeckh in Anall. Acad. Berol. 1824, scriptis philol. p. 86.

notionem Graeci menti suae informaverant, non apte expleret [39]). Etenim quod singulari modo et a Graeco more alieno vestitae inducuntur, est ea levis nota, sciteque admissa; quod Phrygii Lydiique numeri et modi (vs. 1026, 162) occurrunt, Graecos reputa Phrygio Lydioque numerorum generi temporis decursu assuevisse, alioquin ab illarum gentium indole abhorruisse.

Bacchae igitur, quae chorum efficiunt, Dionysum sectando ut ceterae personae summopere commotae sunt. Ut vero, quid inter chorum et Thebanas Bacchas intersit, dignoscas, ad ea velim respicias, quae pag. 19-20. de Bacchi numine deque miti eius erga pie ipsum colentes tutela diximus. Quaecunque igitur talis ille deus benigne largitur, ea choro quoque pie eum reverenti puta concedi: hinc effervescenti earum et exsultanti laetitiae moderantia (qua chorum destitutum esse non decebat) admixta. Quod chorus exsultat ac fere superbit (116), (haud fugiet autem, si v. c. vs. 869 sqq. 1154 legeris, chorum summopere agitatum esse; nec inconsulto eiusmodi animi habitum a poeta admissum esse, canticorum summa docet), hac quoque in re Eur. chori Bacchici naturam ad veritatem proxime expressit, chori Bacchici, dico; cave enim veterum chororum notionem ad unius ideae exemplar et normam revocaveris. Equidem Solgeri definitionem [40]) ad hanc quoque tragoe-

39) et recte quidem, quum, quod in vitae usu et commercio cernitur discrimen, poetica fictione aliquatenus exstinguatur. 40) Anall. Vindob. 1819. pag. 98.

diam tum quadraturam arbitror, si chorum Baccharum non *legum in sempiternum sancitarum imaginem*[41]) potius quam *pie bacchantium exemplar* dixerimus. At argutamur forsan! Quod nego. Nempe ad *singularum tragoediarum* formam ideo praecipue accommodanda erit chororum descriptio, quia quodvis veterum tragicorum opus *Graecam religionem* prodit. Graeci quamvis a Deo S. M. nunquam tam alieni essent, quin ultra Olympios istos, cett., providentiam augurarentur illis sublimiorem, ingenii tamen haud scio an ignavia quadam ac tarditate illos sibi usurparunt quasi vitae patronos. Illi igitur Numinis Supremi seduli ministri suam quisque reverentiae partem sibi vindicantes caussam praebuere, ut sacra Deo adolenda, preces ad Deum mittendae, si non contaminarentur, at certe mutarentur notamque inde traherent. Itaque etiam chori, prout e. g. vel Panis vel Apollinis vel Bacchi religio in tragoedia quaquam aut in tragoediae parte praevalebat, variam indolem proderent oportebat; idque fideliter poetae expresserunt. Iam caussam habes, cur Bacchas per totum opus magis commotas Eur. depinxerit, quam chorum ullibi incedentem invenies. Eximia vero arte Euripidem perfecisse existimo, ut chorus, quum Bacchum sectaretur, eumque maximopere celebraret, vel sic tamen spectantium animos tangeret, leniret, eveheret, tam Bacchi maiestatem quam ceterorum deorum numen prudenter illustrando.

---

41) Solger. l. l. „Die Gattung als Abbild der bleibenden Weltgesetze."

Hic nonnisi pauca adiunxisse sufficiat, quae quam ceteri loci graviora sunt ad discrimen, quod est inter chorum et Thebanas Bacchas, indicandum.

Chorum igitur deus in societatem suam adscivit (v. 56); chorum dixerim ebrietati illi Bacchicae assuevisse (*τὰ νομισθέντα γὰρ Διόνυσον ὑμνήσω*, 72), ut cum conscientia religionis plena bacchetur; contra Thebanae Bacchae, omniumque maxime Cadmi filiae gravem dei iram experiuntur (v. 39.), sunt *οἰστρηθεῖσαι μανίαις* (32 coll. 122—3; nec proprie cadit in illas *ἡδὺς πόνος κάματός τ' εὐκάματος*, nec bacchantur *ὁσίοις καθαρμοῖσιν* (v. 79); immo furore atque insania corripiuntur, ut scelus committant piaculo deinde exstinguendum[42]). In scena illa (vs. 675) *εὗδον δὲ πᾶσαι, κώμασιν παρειμέναι* sqq. orationis luminibus egregiam sane imaginem adumbravit, ut ii, qui poetae fictiones vividius intueri valebant, gravem dei vim cognoscerent similiter atque qui intuentur, quae hodie exstant huc pertinentia[43]). Verum quae Eur. l. l. expressit, magis etiam commovisse consentaneum est, quum non unum momentum exhibuerit, ut in caelatura et pictura fit, sed varios Baccharum motus depinxerit sese excipientes. Deinde ut chorum alio modo quam Thebanas Bacchas excitatum cognoscas,

---

42) non recte puto iudicaturum esse, qui caedem illam non esse scelus quod poena egeat, quoniam ipse Bacchus sit Penthei dilacerandi auctor. Caussae altius repetendae forent; itaque in eo acquiescimus, ut ad Eur. delegemus in tragoediae exitu miseram Agavae insaniam exponentem. 43) v. Müll. Archaeol. §. 388, 4.

comparare iuvat cantum vs. 399 sqq. cum truculenta scena vs. 1071 sqq. Chorum ex eo carmine deprehendes leni dei afflatu agitatum, qui etiamsi consecutus fuerit, quae precatur, ultra modum non excedet. Contra Thebanarum turba, *θανασιμὸς ἀγέλα Μαινάδων* (1015), furore adeo abrepta est, ut plane sui non conscia sit (1265). At audi poetam:

1077 *αἱ δ' ἔστησαν ὀρθαί, καὶ διήνεγκαν κόρας,*
1086 — — *θεοῦ πνοαῖσιν ἐμμανεῖς.*
1106 *πρώτη δὲ μήτηρ ἦρξεν ἱερία φόνου — τλήμων Ἀγαυή·*
1114 *ἡ δ' ἀφρὸν ἐξιεῖσα, καὶ διαστρόφους*
κόρας ἑλίσσουσ' οὐ φρονοῦσ' ἃ χρῆν φρονεῖν —
1123 — *ἦν δὲ πᾶσ' ὁμοῦ βοή.*
1136 *χωρεῖ δὲ θήρᾳ δυςπότμῳ γαυρουμένη,*
1139 — *ἣ δάκρυα νικηφορεῖ — —*[44])

II. De Baccharum compositione.

Ne tituli ambiguitate quadam deceptus aliena a consilio nostro exspectes, nos nec de scenico ornatu, nec de personarum habitu, nec de rhythmica metricaque ratione disserere proposuisse, quamvis

---

44) et hic pauca, quae sunt levioris momenti, et in *secunda commentationis* parte nonnulla, quae de *stasimis* conscripseram, typis non excusa sunt, ne ultra terminos mihi exoptandos extenderetur libellus.

etiam in hisce componendi ars cernatur: sed exponere tantum animus est, quomodo orationis tenorem Eur. digesserit; num *totum opus*, in quo et *summa* quaedam, tragici momenti plena, sit, et ad summum talem finem singula sint accommodata. Neque vero id sufficit; sed quantum breviter apteque fieri poterit, ea respicienda sunt, quae non ad tragicum quodcunque opus, sed ad Euripideum pertinent. Nempe et Aeschyl. et Soph. et Eur. licet in eo conspirarent, quod egregiam tragoediam identidem composuerunt, nihilominus tamen magnum aliquid interest inter horum poetarum tragoedias. Iam quum Schlegelium atque Iacobsium de Eur. aliquantisper acerbius suffragatos esse ratus Pindari illud perpenderim:

εἴ τι τῶν παραιθύσσει, μέγα τοι φέρεται
πὰρ σφέων· πολλῶν ταμίαι ἐντί· πολλοὶ μάρτυρες
ἀμφοτέροις πιστοί,

mihi ignotum iri confido, quod quaedam vituperia de Euripidis componendi arte ab illis prolata respexerim [45]). Iacobs. [46]) dicit: "Es scheint mit dem System der tragischen Kunst, welches Eur. sich entworfen hatte, genau zusammen zu haengen, dass in seinen Tragoedien die Allmacht des Schicksals oder ueberhaupt die Ueberlegenheit der goettlichen Natur ueber die menschliche so selten eine bedeutende Rolle spielt. In den Bac-

---

45) cf. simile iudicium in Ephemerr. Scholl. 1832; Sept. p. 889, quod forte oblatum arripui, ut quasi propugnaculum haberem. 46) l. c. p. 366.

chen — ist dieser maechtige Hebel nur in *einer* Situation benutzt, — in den meisten Tragoedien entspringt die Handlung aus den Leidenschaften der handelnden Personen (cf. p. 401 et Schlegel Dramat. Kunst I. p. 204.). pag. 385: In den Bacchen ist der Widerstand des Pentheus Leidenschaft, und der Gottesdienst seiner Mutter ein Wahnsinn — et pag. 389: die Wahrheit des gewoehnlichen Lebens galt Eur. hoeher als die Schoenheit einer Idee; deinde p. 400: — — dass Eur. nicht gross gewesen sey in Erfindung des Plans.

His adde, quae Schlegel. l. c. p. 204. sqq. similiter exposuit. Quae cuncta veritatis fundamentis quidem eo usque superstructa esse aio, quatenus Eur. harum reprehensionum passim ansam dedit; ideo autem non prorsus stare existimo, quod est, ubi in ista vitia non incurrit. Ac de aliis quidem tragoediis taceo, de hac cur ita statuam, recte postulabitur ut exponam. Ita vero rem instituere iuvabit, ut confestim ad tragoediae summam et argumentum explanandum aggrediar, dispersis et in fine adiunctis quae mihi respicienda esse modo innui.

Summam igitur tragoediae dixerim hanc: *Pentheus , impio fervore Bacchi cultum Thebis propellere machinatus misera insania et exitio, Cadmeides, dei religione protervè neglecta, Penthei caede per ipsarum furorem patrata poenas luunt, documentoque sunt, impia mortalium consilia et facta deorumque contemtionem serius ocius ipsis verti in perniciem.* —. Hanc vel similem sententiam poetae animo obver-

satam fuisse consentaneum est [47]. Nec vero est, cur anxii simus de illa sententia prorsus ad poetae consilium exprimenda; id potius investigare oportet, num fabula ita digesta sit, ut non solum eiusmodi scopus quasi tragicus per totum drama sit conspicuus, sed etiam cetera tragoediae fundamenta, nempe actio expedite procedens, quae inter divinum numen et homines intercedit ratio, fabulae initium, progressus, exitus, ut haec, inquam, tragoediae aequabilitatem efficiant; denique audientes tali modo animis afficiantur, quali per tragoediam fieri debere Aristot. (Poet. c. 6) docet.

Prologi illud ἥκω [48]) et oratio per 63 versus extenta non deterret, quo minus hunc dicam apte praefixum. In hac potissimum fabula poetam oportebat, qualem Dionysum exhibiturus esset, lineis quibusdam adumbrare; idque ideo egregie hic effectum esse arbitror, quod, quoniam et cunctae Dionysi religioni et huic ipsi Thebano mytho plura inerant, quae spectatorum cogitatio-

47) cf. vs. 383 — 5. 876 sqq. 995 sqq. 74 cett. 48.) ob aliorum dicta hoc attingendum putabam; ac doleo hanc unam vocem Euripidi ludibrio fere verti coepisse (v. e. c. Schlegel. p. 216.). Singulari modo Twining ad Aristot. Poet. explicat.: When j read the opening of Hecuba: "Ηκω cett. j cannot help thinking of the simple actor of Thespis announcing his own name and family." Recte quidem illud, modo ne Euripidi vitio vertatur haec simplicitatis captatio. Nimirum etiam Aesch. Prom. 1. Suppl. 4 — 5. Cho. 3, et Soph. Electr. vs. 4. Oed. Tyr. vs. 2. Trachin. vs. 6 sqq. Phil. vs. 1. priscae simplicitatis vestigia produnt!

nem late vagari sinerent, aliena ab initio removit et Thebani quoque mythi certos limites constituit. Atque omni quidem nixus artificio, quo poetae uti solent deos e sublimi in terram delaturi, Eur. deum, exutum quasi mysticis, quae formam humanam repudiant, involucris, ex illis regionibus, quas imaginationis licentia ubique locorum ei assignaverat, Thebas adducit, humana specie quidem indutum, sed ita, ut primis illico verbis divinitatem patefaciat vel huic formae iniunctam. Quo autem modo poeta verba digessit, effecit, ut spectatores, quum iuvenem mollem tenerumque cernerent, deum eundem intuerentur omni, quae deum decet, gravitate impias Thebanorum mentes puniturum ita ut poena patriae urbi abiret in salutem. — Cognoscis igitur prologi ope et locum, in quo mentem defigas, et consilium dei, unde tragoediae filum ducitur; comperis chori munus, auguraris quoque Thebani regis tam scelus quam exitum; denique animo praesagis totius tragoediae effectum iri exitum, quando deus in Cithaerone Thebanis feminis praesens affuturus sit [49]).

Ceterum quod Euripideos prologos ideo quoque mancos esse nonnulli censuere, quod proloquentes *in aërem* quasi verba sua emittant, haud scio an iuste obiiciam, neminem veterum poeta-

49) Quae Lessing. in Dramaturg. Hamb, (Nro. 48 — 9.) de *prologo* disputavit, Schlegelii monitis (p. 215 — 6.) non adeo fracta esse suspicor, quin de prologo ita se habeat, ut Lessing. voluit, modo in ipso dramate sint, quibus exspectationi concitatae satisfiat.

rum in opere conficiendo adeo fuisse defixum, quin et eorum, quorum gratia componebat, respectum habuerit; ac recte quidem illud, si quidem ita homines natura generati sunt, ut vel praeter voluntatem ad semet ipsos quodam modo referant, seque cogitatione immisceant iis, quae coram aguntur [50]).

Statim post prologum sequitur *parodus* (v. 64 — 166). Ad reliquos cantus quod attinet, quum praeter *duos commos* (568—635, 1145 — 94) et epodicum systema exodo adiunctum (1369 — fin.) *quatuor stasima* (367 — 426; 512 — 567; 853 — 906; 971 — 1015) occurrant: tragoediam in *quinque partes* distribuere oportet. *Prima* igitur pars complectitur vss. 167 — 366, *secunda* 427 — 511; *tertia* 568 — 852, *quarta* 907 — 970, *quinta* 1016 — fin.

Parodus quandoquidem Dionysi maiestatem, orgiorum sanctitatem, dei natalicia, beatam denique pie bacchantium sortem effert, audientium ille habitus excitatur, quo destituti esse non debebant, qui tragoedias spectatum convenerant. Aucto sub finem tympanorum strepitu, intenso tibiarum stridore (vs. 152 — 3) [51]), et concitata Baccharum saltatione (cf. vs. 152, 165 — 6), en auditores in mediam rem religionis plenam abreptos, et rerum profanarum ita oblitos, ut una cum choro deinde agitentur, metuant, evehantur!

---

50) hinc creberrimas *allusiones* ad res tam publicas quam privatas, hinc παράβασιν illam mire placuisse, et *monologos* hodieque placere explicandum est. 51) v. Schoen. p. 123.

In *prima* igitur parte fundamenta quasi iaciuntur, quibus deinde tragica materia superstruatur. Ex sermone inter Tiresiam et Cadmum habito percipimus, praeter hosce Thebanas feminas iamiam divino Bacchi afflatu esse correptas. Uterque senex adest ad deum orgiis celebrandum accinctus. Subvenit rex Thebanus. Qui quum antea peregre versatus, nunc reversus Thebanarum turbas conspexerit ad orgia festinantes, has ubicunque comprehendi iubet, Tiresiam autem et Cadmum ob insanum ipsorum furorem, quem opinatur, increpat. Quo toto in colloquio egregiam Euripidis artem velim animadvertas, qui quum Pentheum depinxerit acrem Bacchici cultus adversarium, ideo non talem formavit, cuius miserrimo exitu non summopere commovearis. At, nonne poeta multus fuit, Penthei et Tiresiae sermonem rhetoricum in modum continuando et actionem cohibendo, ut vs. 366. Pentheum deprehendamus in eodem actionis momento versantem, quo vs. 212. vidimus? Non nego quidem orationis tenorem in hac scena, praecipue in ratiocinatione ista (vs. 285. sqq.), ab aetate, qua tragoedia orta est, notam traxisse, verum tamen in hac certe tragoedia non eo nostrum poetam processisse puto, ut interiorem tragoediae finem neglexerit. Sic ne in hanc quidem scenam prorsus aliena irrepsisse putaverim; atque etiam explicationem illam de mystica Bacchi origine quod inseruerit, non crimini vertendum arbitror, quoniam a Tiresiae vatis pietatem Pentheo suadentis mente non

abhorreat [52]). Actionem quoque tam huius partis quam sequentium satis apteque procedere censeo; qua in re ut te habeam consentientem, haec in universum addidisse iuvabit: In tragoedia duplex requiritur ratio, unde actio pendeat, altera *externa*, altera *interna*. Illa cernitur, ubi, quae agi finguntur, vere in scena exhibentur; haec adest, ubi per narrationem et sermonem tantum actio procedere fingitur, atque ubi animorum habitum sentis varie commutari. Utramque vero actionis expediendae artem quum in quavis tragoedia adesse oporteat, altera tamen praevalere solet. Iam ut ad hanc fabulam redeat oratio, interna illa actionem

52) Multi Euripidearum tragg. loci VV. DD. ideo offenderunt, quod sophisticam facundiam potius quam mythici aevi simplicitatem prodant. Quorum locorum non paucos iusto acerbius castigatos esse suspicor. Etenim quis tandem poeta iis, quae rationis ad certas quasdam regulas revocatae praescriptis sanciri solent, ita se adstringi patitur, quin ultra procedat, legibus, quas temporum ratio vitaeque usus constituit, cedendo? Immo vero optimum quemque poetam scimus per fictiones suas *verissimam aevi sui imaginem* praebere, ita quidem, ut, quae aevum notant, ea expressisse, sed ab Summo Artifice stilum et colores mutuatus esse dicendus sit. Quarum rerum (*vitam* dico *externam*, atque *ideas*) coniunctione demum perfecta poesis efficitur, quippe quae nec *ieiuna* sit *imitatio*, nec *inanis idearum vigore carentium captatio*. Quam boni poetae indolem quamvis Eur. hoc loco *minus* probaverit, in universum tamen ei assignandam esse complures tam totae tragoediae quam singulae partes a VV. DD. castigatae docent. Atque si ad Baccharum summam spectaveris, eundem illum colorem, quo tragoediam *divinitus tingi* dixerim, cognosces.

digerendi ratio bene admixta nobis videtur alteri de qua diximus [53]). Sic in priori parte si ad externam actionem spectes, fere nulla est praeter personarum adventum. Nihilo minus tamen actio inest vivida. Brevi enim versuum serie (213—220) Thebanarum rerum perturbatio divinitus inmissa dilucide adumbratur. Ex paucis deinde vss. (229—30), adiunctis vss. 234—5, cognoscitur, non Pentheum solum Bacchabus machinari vincula ac perniciem, sed etiam Bacchum adesse praesentem. Denique nonne etiam illud ad actionem merito retuleris, quod, qui in scena adsunt, postquam suam quisque indolem suumque consilium fideliter expresserunt, sub huius partis finem ad propositum exsequendum pergunt (cf. gravissimos vss. 363 sqq.)?

Secundae partis, post *primum stasimon* [54]) a vs. 427—511. continuatae, summam dixerim *Pentheum ipsi deo insidiantem*. Cadmus et Tiresias ad orgia celebranda decessere; Pentheo vero in palatium reversuro servus Bacchum adducit vinctum (vs 444). Hic animadvertas servi animum et regi obedientem et religiose affectum, ita ut ne veri conscius quidem miram peregrini naturam divinetur revereaturque (vs. 434). Quo clarius autem ex servi verbis (440)

αὐτόματα δ' αὐταῖς δεσμὰ διελύθη ποδῶν sqq.

intelligitur, quam divina vi ille peregrinus utatur,

---

53) Cum altera arcte coniuncta est ars illa quae hodie *Scenenmalerei* vocari solet, a Goethio omnium maxime, at vero etiam a Soph. et Eur. adhibita tragoediis. 54) v. not. 44.

tanto facilius est ad cognoscendum, Penthei gloriantis (444)

— ἐν ἄρκυσιν γὰρ ὤν,
οὐκ ἔστιν οὕτως ὠκὺς ὥστε μ' ἐκφυγεῖν (cf. 498.)

superbiam ipsi fore perniciosam. Attamen quum Bacchus mortalem sese iuvenem simulet et choro quoque talis ille obversetur, ideo ansa praebetur tragoediae filum eo deducendi, quo oportebat, ut spectatores, quali modo Pentheum Thebanasque castigaturus esset, dubii haererent. Itaque post altercationem regis, deum esse thiasi ducem, opinantis, cum deo qui divinitatem suam lepida ironia dissimulat, hic a rege servis traditur, ut intra stabulum ad praesepia custodiatur gravibus vinculis constrictus [55]).

Tene igitur Pentheum post vs. 507. in regiam ingressum, scilicet ut peregrino isto et Bacchabus gravi poena affectis (vs. 504.) orgiorum insaniam radicitus exstinguat! En ieiuna Pentheum prudentia cum Dionysi numine intra regiam conflictaturum! en regem etiamtum repugnantem, quum Thebanae Bacchae, omni Thebanarum rerum statu in miraculum converso, per deum dudum vinculis liberatae, foris versantur!

At video me ad *tertiam partem* deferri, quam poeta hoc modo digessit: Chorus quum *ducem* suum a Pentheo vinctum teneri opinetur, in secundo stasimo (vs. 511 — 67.) nullam sibi ac duci salutem fore suspicatur, nisi per Bacchum opitulantem (543 sqq.). Conqueritur itaque periculum, quod

55) v. Herm. ad vs. 503 explicantem.

a Sparto illo Pentheo utrisque immineat, deumque precatur, ut, supplicio a rege sumto, se in libertatem vindicet, sibique orgiorum ulterius divulgandorum fiat auctor. Hic neminem, credo, fugiet insigni arte Euripidem et cantum illum praemisisse et scenam insequentem composuisse. Chorus summopere agitatus magni dei quem colit tutelam invocavit, de Baccho vinculis adstricto omnino non cogitans; at vero spectatores deum *personatum* in palatio versari sciunt. Hinc efficitur, ut deus humana licet forma incedens per chori sermones ea divinitatis specie induatur, qua insignem esse oportebat, ut scena miraculi plena non temere effingeretur. Cantu igitur vixdum decantato, ecce! e palatio per medias *σκηνῆς* fores vox Bacchi percipitur intentis sonis chorum compellantis. Nondum vero cernitur, sed intra *ἐκκυκλήματος* spatia versatur. Extemplo Bacchae, deum iamiam intra palatium adesse et ipsis et duci ipsarum auxiliantem ratae (vs. 581.), gravissime animis agitantur, ut in duas partes discedentes (an *σποράδην?*) per orchestram discursent, tanquam cum deo se congregaturae. Interim Bacchi vim divinam praeter ipsius verba terrae solum concussum (vs. 576 — 8.)[56]) regiarumque aedium lapides et ligna cum fragore decidentia (vs. 582 — 3.), ignis denique Penthei aedes adurens (vs. 589.)[57]) satis indicant.

---

56) *Βροντείου* ope (Poll. IV, 127, 130.) terrae concussionem expressam fuisse verisimile est. 57) quum in σκηνῇ λάϊνα κίοσιν ἔμβολα (582) vere exstructa essent, haec, quum delaberentur, ad veri similitudinem propius accesserint, quam hodie fit, natura tulit.

Post vs. 596. demum deus in logeum prodit, ut a Bacchabus conspiciatur; atque quum ad chorum verba faciat, se a Baccho servatum esse simulat. Spectatóres tamen non poterant non ad ipsum ea referre, quae deus *personatus* alteri Baccho, chori mentibus obversanti, tribuit. Deus igitur postquam regem in palatio graviter illuserat, spretis vinculis ex aedibus evasit [58]), et erectis Baccharum animis, regem exspectat. Advenit Pentheus (vs. 635.), ad cuius statum depingendum eximie faciunt prima verba

Πέπονθα δεινά. διαπέφευγέ μ' ὁ ξένος,
ὃς ἄρτι δεσμοῖς ἦν κατηναγκασμένος.

Tantum vero abest, ut, qualem persequatur adversarium, cognoscat, ut claudi omnem aedium cir-

---

58) noli poscere, ut eorum quae Bacchus narrat lineamenta reddam, namque narrationis decurtatio foret simul depravatio. Attamen exhibuisse iuvat vs, 611 sqq.

Πρὸς φάτναις δὲ ταῦρον εὑρών, οὗ καθεῖρξ' ἡμᾶς ἄγων,
τῷδε πέρι βρόχους ἔβαλλε γόνασι καὶ χηλαῖς ποδῶν
θυμὸν ἐκπνέων, ἱδρῶτα σώματος στάζων ἄπο,
χείλεσιν διδοὺς ὀδόντας. πλησίον δ' ἐγὼ παρών,
ἥσυχος θάσσων ἔλευσσον. — —
— — ὁ Βρόμιος —
φάσμ' ἐποίησεν κατ' αὐλήν. ὁ δ' ἐπὶ τοῦθ' ὡρμημένος
ᾖσσε, κἀκέντει φαεννὸν αἰθέρ', ὡς σφάζων ἐμέ.

Quae quam vividam et dei et Penthei imaginem exprimant, ipse iudicabis. Illud tantum moneo, quae hic narrantur, ea si coram spectatoribus poeta curasset gerenda, in absurda fuisse abitura; sed quum narrentur, egregie se habere. Caussam scis esse indolem hominum, qui saepe intueri animo amant, quae cernere oculis aversantur.

cuitum iubeat (vs. 645.), ne ille iterum effugiat. Ridet deus, seque mansurum prodit.

Deinde (vs. 651.) pastor quidam ad regem pervenit, qui, quae a Thebanis feminis in monte Cithaerone gesta clam spectaverit, oratione narrat satis longa quidem, ita tamen conformata, ut nihil otiosi admixtum sit. Omnia enim quae narrantur, non nisi praeclaram orgiorum praebent imaginem, et ita ex vitae usu repetita sunt, ut ea tantum poeta insuper addiderit, quae dudum ex fictionis licentia, huic cultuum generi propria, profecta erant. Huc refer, quae vs. 690 — 703, 729 — 739, 749 — 50. finguntur a vita vulgari aliena; (cf. not. 58. fin.). Deinde quod externa quidem actio hac narratione interrumpitur, haud aegre feret, qui (quod poetam efficere voluisse consentaneum est) non pastorem illum potius, quam Bacchas orationis ope arcessitas intuebitur [59]). Denique externae etiam actionis producendae apta ansa per haec demum verba datur. Etenim Pentheo ad eum qui huc usque obtinuerat vitae modum tuendum proclivi, strenuo illi, prudenti atque ea tantum in re mente capto, quod divinum Bacchi numen non agnoscit, iamiam illud persuasum est (770):

> ἤδη τόδ' ἐγγὺς, ὥστε πῦρ, ἐφάπτεσθαι
> ὕβρισμα Βακχῶν, ψόγον ἐς Ἕλληνας μέγαν.
> ἀλλ' οὐκ ὀκνεῖν δεῖν. —

Mandat igitur nuncio, ut cives *conclamet ad arma*. Nuncius abit (post vs. 778.).

Quod insequitur colloquium inter Bacchum et

---

59) v. et pag. 25.

regem, secundum totam tragoediae compositionem, catastrophae expediendae inservit. Pentheus iis quae evenerunt adeo non consilio fractus est, ut apertum bellum Bacchabus moliatur. Iam quum, sive ad Thebanum mythum, sive ad tragoediae rationem spectamus, res toti fabulae subiecta non bellum esset, sed Penthei exitus et nex ab ipsius cognatis patrata: poeta auditorum attentionem huc potissimum debebat revocare: quod per illud colloquium scite effecit. Nempe in hac scena Pentheus hactenus commutat propositum, ut cum Baccho solus Cithaeronem conscendere malit Baccharum orgia spectaturus. Etiam haec pars Euripidem pingendi arte excelluisse prodit. Ac de Bacchi quidem natura fideliter expressa vide pag. 15—16. Pentheum vero animadvertas, licet et hic [60]) et postea [61]) dei consilio sit constrictus, vel sic tamen suam in agendo indolem retinere: itaque, quamvis per Bacchum permoveatur, ut muliebri Baccharum vestitu indutus earum ineat societatem, animum regium, eundem illis infestissimum, non abiicit. Exempli caussa addo vs. 812—13.

Δι. στεῖλαί νυν ἀμφὶ χρωτὶ βυσσίνους πέπλους.
Πε. τί δὴ τόδ'; εἰς γυναῖκας ἐξ ἀνδρὸς τελῶ;

Attendas denique ad Penthei decedentis verba (836—7.)

— ἢ γὰρ ὅπλ' ἔχων πορεύσομαι,
ἢ τοῖσι σοῖσι πείσομαι βουλεύμασιν.

---

60) vs. 792. ἀπόρῳ γε τῷδε συμπεπλέγμεθα ξένῳ. 61) vs. 928. σοὶ γὰρ ἀνακείμεσθα δή.

ad pertinacem regis animum indicandum aptissima. Quibus quum post regis discessum Bacchi addantur illa (838):

γυναῖκες, ἀνὴρ εἰς βόλον καθίσταται. —
Διόνυσε, νῦν σὸν ἔργον, οὐ γὰρ εἶ πρόσω,
— πρῶτα δ' ἔκστησον φρενῶν,
ἐνεὶς ἐλαφρὰν λύσσαν. —

nihil profecto ad animos audientium commovendos fingi potuit efficacius, nihil ad ipsam catastrophen praeparandam aptius!

In *quarta parte* (vs 907 — 71), brevi quidem illa, sed gravitatis plena Pentheus misere delirat! At explicatius dicam [62]). Primi statim versus, si cum tertiae partis fine comparaveris, conversionem hinc ordiri indicant. In antecedentibus Penthei contra Bacchum conamina ad summum fastigium provecta erant. Decesserat ille ita iactabundus, tanquam ex arbitrio suo vel aperta armorum vi vel insidiis rem suam gerere posset. Bacchus huc usque prodiderat indulgentiam, severitate nondum manifestata. En rem iamiam inversam! Rex, κόσμον (Baccharum vestitum) εἰς Ἅιδου λαβών (848), a deo arcessitus, suique non conscius, sed misero delirio captus, ex palatio procedit, cum deo ad Cithaeronem escensurus. Capiti igitur mitram imposuit (824, 1007); comas gerit incomptiores et prolixiores (822), nebride se cinxit et thyrsum dextra gestat (826) [63]). Sic externa Maenadum specie assumta, mira celeritate pristina

62) cf. quae pag. 38 attigimus huc spectantia. 63) v. Schoen. pag. 46.

mente decidit, quum iam in aedibus bacchatus sit (vs. 924.) et nunc Baccharum mores imitando assequi studeat, ita ut regem, nimirum exacerbatum orgiorum adversarium, in Baccham abiisse dicas, nisi a poeta caute plura pristinae mentis indicia admissa essent. De delirio autem quum Jacobsius (l. l. p. 381.) disseruerit, in eo acquiescendum esse duxi, ut ea attingerem, quae Jacobsius, utpote qui multus esse nollet, omisit. Ac non minorem quidem Euripidi quam Sophocli [64]) laudem esse tribuendam censeo, quum similiter atque hic eo maxime colore, quo opus erat, vesaniam obduxerit. Etenim quaecunque Pentheus insania abreptus loquitur, ea et a Baccho illam profectam esse, et *Pentheam* mentem inde correptam insigniter docent. Namque per caligines regis menti obductas, partim tauri cornuumque taurinorum species (914 — 16.), et Bacchici ornatus ficta emicant (vs. 935 — 36.), partim talia cogitata et consilia prodeunt, quae non nisi acerbo orgiorum contemptori possint assignari.

Huc refer vss. 939 — 40:

ἆρ' ἂν δυναίμην τὰς Κιθαιρῶνος πτυχὰς
αὐταῖσι Βάκχαις τοῖς ἐμοῖς ὤμοις φέρειν;

huc vss. 943 — 44, 947 — 48, 951 — 52, 962. Deinde eximia arte poeta per totum colloquii tenorem effecit abruptum quendam sententiarum nexum, ut Pentheus pluries Bacchi verba ne respiciat quidem, sed in iis, quae ipsius imaginationi obver-

64) ob Aiacis insaniam vivide pictam.

santur, plane defixus sit[65]). Tum Bacchi dicta ita sunt conformata, ut ex Graecorum certe opinione in deum cadebant maiestatis laesae supplicium ab impio mortali exigentem gravissimum[66]).

Denique si ad totius partis summam respexeris, spectatores tragice commoveri necesse erat, et ad tragicam sane exspectationem, quid eventurum regi esset, concitari. Perapte autem ex Penthei sermonibus obstinacissima etiamnunc discernitur Bacchici cultus invidia, ad scelus supplicio dignum aucta, ut Bacchi severitas vere habeat, quo fulciatur[67]). Ceterum tales versus, quales 957. 959. 966. 968—69 ad mysticam κάθαρσιν propius pertinent[68]).

Pentheus cum Baccho et servo quodam (vs. 1038.) in Cithaeronem decesserat, Bacchas spectatum, vel potius iis insidiatum. Quae Bacchus gravi ironia innuerat (vs. 959—60.), haec in *quarto stasimo* (vs. 971. sqq.) a choro vaticinante indicantur apertius. Tum in *quinta parte*, quam in quatuor scenas dividere iuvat (a, vs. 1015 — 1144. b, 1145 — 1207. c, 1208 — 1323. d, 1324 — fin.) Primum nuncius cum choro colloquens longa oratione, quod chorus praesagiverat, accidisse confirmat.

Hic locus idoneus est ad Aeschyleae et Euri-

---

65) sic vs. 919. 935. 961 ex regis animo huc illuc per vesaniam aberrante explicationem habent. 66) v. pag. 21. — 22. not. 36. 67) hinc non impediri, quo minus spectantes regis exitum miserarentur, supra monuimus. 68) Eur. tali modo alludere ad mysteria amat; v. Lobeck. Agl. p. 622. et p. 625. not. h.

pideae artis diversitatem illustrandam. In Aeschyli Xantriis (Bassaridibus) coniicere licet [69]), Pentheum coram spectatoribus necatum a Bassaridibus esse, exhibitis in σκηνῇ Cithaeronis indiciis. Quod si recte statuitur, plane Aeschyleam habes scenam, in qua externa actio, nempe Bassarides circum Thebanum regem furore agitatae in eumque cum thyrsis hostiliter ingredientes, Pentheus matrem suam supplicans, idem occisus, externa denique orgiorum signa [70]) mirum quantum necesse est fecisse ad spectantes commovendos. Autumare licet accessisse verba gravissimi ponderis, ea quidem non in fusam orationem aucta, sed quae inter actionem potius dispersa essent. Haud ita apud Eur. Qui quod narrari fecit, quae ab Aesch. in scenam introducta erant, ideo tragicam huius partis gravitatem non ita fregit, puto, ut Welckero (l. l. pag. 333.) visum est.

Quod igitur orationis est argumentum? quidque facit ad tragoediae summam complendam? Bacchus et delirans etiamnunc Pentheus eum servo in Cithaeronis convallibus considunt. Regionis delineatur Baccharumque in monte congregatarum imago admodum vivida; deinde Pentheus depingitur per deum in abietis vertice subito collocatus, ut ipse servus miraculum agnoscat. Tum pars sequitur gravissima, Pentheum per matrem, sorores,

---

69) plura indicia v. ap. Welcker. Trilog. p. 324 sqq. coll. Suid. s. v. ὀκτάπουν: ἡ Λύσσα ἐπιθειάζουσα ταῖς Βάκχαις.

70) vestitum dico, motum, incessum, tympanorum strepitum, scenam magnifice exornatam.

ceteras Thebanas necatum dilaceratumque exhibens. Qua in scena et dei maiestas et Baccharum furor et Penthei (cuius insaniam ad Bacchas subinde transgressam dicas) mens ad sanitatem subito reversa egregie conspirant, et antiqui mythi summam tanta fide reddunt, ut obliviscaris, rem fingi, quae nunquam acciderit, sed Bacchum, Pentheum, Bacchas tibi videaris cernere praesentes.

At, nonne praeferenda erit tractatio Aeschyli, quippe qui id, in quo rei cardo vertitur, non imaginationi praebuerit intuendum, sed oculis spectandum? Tale quid opponenti nolo quidem repugnare; sed plura esse arbitror argumenta, quae aliam alteri tractandi rationem imposuerint, nec Euripidis laudes opus esse diminui, ut Aeschyli efferantur. Iam quo iure Eur. illa narrari faciat, dispiciamus. Qui quum ita ab Aesch. discesserit, ut plures partes addiderit vel certe diverso modo tractarit, Penthei dico cum Cadmo et Tiresia altercationem, *conspicuam* Penthei dementiam, illam denique scenam, qua Agave coram spectatoribus insanire desinit, et Bacchus divinitatem suam profitetur: vereor, ne copia ad spectandum praebita potius spectatores obruerit, quam iustum modum observaverit, si Pentheum coram necandum curasset. Quid? quod Aeschylum, quum Penthei necem conspiciendam fecerit, ad extremos artis decorae terminos, qui diros campos attingunt, propemodum accessisse suspicari licet: Euripidem ultra processurum fuisse, si in brevi scena catastrophen spectantium oculis admovisset, et ob totius tragoediae compositionem et ob minorem Euripidis hac in re artem proclive

est ad coniectandum. — Erit fortasse qui eam ipsam ob caussam, quia in regis exitu tragoediae summa cernatur, hunc exitum censeat oportere in scena praeberi adspiciendum. At nihil refert, id, in quo rei cardo vertitur, utrum coram agatur, an per narrationem expediatur, modo eo quo opus est pondere non careat [71]).

Qua autem catastrophen expediendi via noster poeta ingressus est, duplex inde nactus est commodum: alterum, quod sic necem illam *adspectu diram* omni asperitate, quam ex mytho traxit, referre licebat, spectatorum mentibus inde non obtusis, alterum, quod per continuatam illam orationem animos varie affectos depingendi arte, qua egregie excelluit, uti potuit. Idque prosperrime ei successit. Atque ut discrimen quoddam huic tractandi generi cum Aeschyleo intercedens statuamus: Aeschylum dixerimus, quum facinus istud oculis obtulerit spectandum, ideo eorum qui aderant oculos tenuisse in externa contemplatione defixos, Euripidem contra effecisse, ut animi perceptione caedem intuerentur.

En igitur orationis ope truculentam tragoediae conversionem tali modo expeditam, ut et saevi facinoris mytho subiecti imaginem animo perciperent auditores, et misericordia tragicoque metu afficerentur. Attamen restabat, ut poeta *aptum finem tragoediae imponeret.* Quod quo modo effecerit, nunc brevi diiudicemus.

---

71) cf. praeclarum opus: de l'Allemagne, par Mde. de Staël-Holstein tom. II. pag. 204. ed. Paris. et Londin.

In antecedentibus res, in qua tragoediae summa nititur, confecta quidem est, sed ipsa tragoedia ex Graecorum sensu nondum finita. Graeci enim aegerrime tulissent, si Eur. Bacchas caede patrata in montibus debacchari fecisset, nec auditoribus, quid Cadmeae genti superstiti eventurum esset exspectantibus, satisfecisset [72]). Talia igitur ne spectatores desiderarent, Eur. tragoediam ultro continuavit. Altera tamen ratio accedebat, κάθαρσιν dico [73]). Quae quum ex totius operis compositione pendebat, tum in fine maxime cernebatur. Atque quemadmodum in superioribus, soluto qui vulgo est vitae ordine, illa πάθη et ἐκπλήξις animis incussa erant, ita nunc poetae id agendum est, ut mira illa perturbatio, a Baccho orta, ab eodem in ordinem redigatur; quod quidem scite efficitur, si ipsius rei exitus congruo modo adiungitur, et divinum numen, a quo omnia denique in integrum restituuntur, in sua luce ponitur (ut non ad *deum ex machina* refugiat rei absolutio [74]).

---

72) Hic in promptu est Euripidi simile quid ac Schillero (in tragg. *W. Tell* et *Maria Stuart* inscriptis) accidisse, ut, licet tragoedia, Pentheo occiso, ad certum quendam finem adducta sit, actionem continuarit ad ea respiciendo, quae ab artiore fabulae argumento aliena sunt. Potuit quidem alius quispiam tragoediae exitus indagari. At vero talem quemcunque mecum noli sobria mente extricare; neque enim poeta quisquam curabit, quae castigandi caussa aliquis excogitaverit. Id potius agendum est, ut caussa depromatur, qua commotus poeta suam componendi rationem secutus sit. 73) Aristot. Poet. VI. 2. 13. 74) ibid. XVIII. 12 — 14, ed. Herm.

et audientium misericordia atque metus in tranquillam, quietam, sublimem abeant animi affectionem [76]).

Abiit nuncius, postquam Agaven etiamnum insania captam mox aggressuram esse (vs. 1135) monuerat. A quo quae narrata sunt, ea chorum instigant, ut (vs. 1145 sqq.) metrorum ratione soluta commum canat, cuius sub finem Agave, Penthei dilacerati caput pro leonino gestans (vs. 1166) procedit, exsultans illa, quod μακάριον θῆραν occiderit et orgiorum γέρας reportaverit. Hic nihil ad saevum triumphum, a cognatis per dementiam de Pentheo actum cognoscendum est significantius, quam quod chorus canit (vs. 1151.):

Βάκχαι Καδμεῖαι,
τὸν καλλίνικον κλεινὸν ἐξεπράξατε
εἰς γόον, εἰς δάκρυα.

quibus totius mythi summam dixerim contineri: Penthei necem a cognatis ita patratam, ut in Bacchi gloriam suscipiatur facinus, idem vero ipsis abeat in piaculum. Colloquium autem inter Agaven et chorum habitum egregie digestum est et ob Bacchicam exsultationem Agavaeque dementiam vivide expressam, et ob eum verborum delectum, qui Agaven ea ipsa de re, qua glorietur, piaculum sibi conscivisse doceat cum summa auditorum commotione.

Deinde tragico pondere gravis est transitus ad *tertiam scenam*, qua Agave Penthei cadavere

---

76) de recta explicatione Aristotelicae descriptionis, quae est l. c. VI, 2, v. Solger. Aesthet. p. 16 97.

iam adportato, et Cadmo nepotis necem coram ipsa lugente, hoc vero temporis puncto filium arcessi iubet, ὡς πασσαλεύσῃ κρᾶτα τριγλύφοις τόδε λέοντος (1206); graves etiam illos vss. agnosces et ex egregia fictione profectos, quibus Agave deprehenditur mentis compos facta, et sciscitans, quo tandem modo filii caput in suas manus pervenerit (1265 sqq.). De Cadmi verbis mox pauca addemus.

Ad ultimam scenam ut respiciamus, haec tenenda sunt: Postquam in antecedentis scenae exitu tam Cadmus quam Agave [76]) Penthei interitum defleverunt, Bacchus ἀπὸ μηχανῆς admotus, et divinitatem suam professus (1334), Cadmo et Harmoniae pronunciat ex patria terra in barbaras regiones esse decedendum [77]); barbarorum vero mixtas catervas ab ipsis, in draconum formam mutatis, abductum iri in Graeciam; deinde impetum adversus Delphos a barbaris factum iri, hisque infaustum reditum inde eventurum, Cadmi autem Harmoniaeque sedem posthac fore insulas beatas [78]). Quibus dictis eum deus finem imponit, ut necessitati obtemperandum esse admoneat; tum ipse evanescit. Cadmus autem et Agave, suam

76) de loci mutilati supplemento v. Herm. ad vs. 1322. exponentem. 77) haud dubie ad Illyrios; cf. Nonnus, quem Herm. laudavit. Ceterum fateor, mihi nondum contigisse ex variarum fabb. agmine deligere ea, quae omnino ad totum hunc locum explanandum faciant; itaque ne pro opinione quidem proferre ausus sum, in quae per hosce dies meditando incidi. Vexavit in primis, quod Nonnus (XLVI. 366 — 7.) et Hygin. (fab. 184.) ab Eur. discedunt. 78) de mythico et hist. argumento v. Müll. Orch. p. 217 et 231 sqq.

sortem in miseriam vertisse, idque gravi, iusta tamen, deorum ira accidisse conquerentes abeunt, in exilium uterque, ad barbaras gentes ille cum uxore, in Aristaei terram (Arcadiam) haec perrectura.

Denique chorus ἐξῳδῇ celebrat deos, qui vel praeter mortalium opinionem numine suo regant quaecunque gubernentque.

Addamus pauca de fabulae exitu. Iam supra (p. 47.) Euripidem diximus duplici caussa commotum continuasse argumentum, altera, ut exspectationi sufficeret, altera, ut eo qui in fine esse debebat affectu audientes imbueret. Quod quo modo poetae successit [79])? Tragoediae filum eo deduci vidimus, ut Cadmi et Cadmeidum exilium a Baccho iuberetur. Quod fictum quomodocunque ab Eur. eiusque aequalibus in universum intellectum statuis: *pro piaculo* certe illud exilium habendum erit. Ac licet Cadmi eiusque cognatarum notiones mature evanuerint, ut diversarum narrationum ansam dederint [80]): Eur. quam proposuit fabulam suo iure adhibuit. Finxit enim talem Cadmum talesque Cadmeides, quales tum temporis Graecis obversabantur. Mystica eorum natura eo usque evanuerat, ut in historicam herois et heroinarum notionem abiisset, vestigia tamen pristinae indolis retinuisset. Quare quod poeta vs. 1324 sqq. praesertim 1332 — 3. 1365. [81]) addidit, non solum ad mysticae eorum indolis vestigia apte respexit, sed etiam

79) subtilior est haec quaestio, quam ut brevi eam ad liquidum perductum iri sperare debeam. Non omittendam tamen duxi; itaque ignoscas mihi, si in sqq. tibi non persuaserim. 80) Müll. Orch. 231. not. 5. 81) oraculum, vs. 1330. memoratum, etiam Hdt. IX. 43. innuit.

commodum quoddam inde nactus est. Nempe quum Penthei nece et Thebanarum furore ordo, qui vulgo est, solutus esset, et ipse Bacchus (vel, si malueris, fatum vel etiam numen divinum) adhuc delendi vim suam prodidisset, idque auditorum animos teuuisset suspensos: per tragoediae finem auditores iamiam post aestuantes animorum fluctuantesque affectus ad leniorem sensum componuntur. Agnoscunt enim, ob Penthei necem et Cadmeorum exilium piaculum adesse, ac Pentheum quidem nece, ceteros fuga reconciliari cum diis. Ea ipsa autem re, quod Pentheus morte poenam luit, Cadmi vero et Harmoniae vita μακάρων ἐς αἶαν καθιδρυθήσεται, spectatores ad sublimem sensum excitantur [82]). Insunt igitur in tragoediae exitu elementa, quibus animi habitus quem Aristot. descripsit efficiatur. Verum Eur. hic altera tantum ex parte castam artem, quae alienis artificiis uti respuit, probavit. Egregie quidem Penthei mortem ita adumbravit, ut ea artificia, quae Solger. (p. 97.) evitanda esse docuit, non usurpaverit; sed ad ceterorum depi-

---

82) v. Solgerum in Aesthet. (ed. Heyse) p. 97—8. qua in re animi elevatio sita sit egregie, ut solet, exponentem. — At, dixeris, Solgerus nonne animos ait non ideo debere placari, quod ad futuram quandam eandem beatiorem sortem alludatur? Hic confitendum est Euripidem a tragoediae argumento non ea omnia seclusisse, quae abhorrent a genuina tractandi ratione, non quo ad futuram Cadmi cett. sortem omnino non respiciendum fuerit, sed quia ei non contigit, istam fabulae partem tam arcte cum reliquo argumento connectere, ut in unum finem omnia conspirarent. V. quae mox in textu addemus.

ctionem quod attinet, istis sane usus est. Nempe quum in eo acquiescendum esset, ut Dionysum faceret futuram conditionem illis pronunciantem, huiusque verbis tale quid exprimerit, quo eos post tot vicissitudines iamiam conciliatum iri cum diis appareret: ultra progressus est, et animos potius ad mollem misericordiam concitavit, quam evexit. Sic Cadmi querelis animi elevationem restinxit, quum prohibuerit, quo minus ista reconciliatio cum numine a spectantibus clare dignosceretur. Ut brevi dicamus: evexit quidem animos, sed τραγικώτατος[83]) denuo se prodidit.

Restat, ut quaedam vituperia supra congesta num in hanc tragoediam cadant brevi dispiciamus. Quali igitur modo Eur. numen divinum exhibuit? num valuit per totam tragoediam efficere talem tenorem, ut esse vim quandam mortali superiorem, ex qua omnia denique pendeant, cognoscatur? Quod puto; nec dissensurum esse spero, cui persuasum erit, divina illa vis, omnibus credita, nemini cognita, quam varie depingi possit, poeseos veritate et splendore non exstincto. Hanc fatum exhibendi varietatem quum Solgerus[84]) et Bohtzius[85]) in clara luce posuerint, ad eos relegare iuvat; mihi id solummodo sumsi, ut in Euripidem valere exponerem, quae universe illi tractarunt. Euripidem igitur cognoscimus tam in aliis nonnullis tragg. quam in Bacchabus (si ad fati notionem spectas) *transitum parasse* ad tragicos re-

83) Aristot. Poet. XIII, 10. 84) l. l. p. 140. 175 sqq. 85) l. c. p. 117 sqq.

centioris aevi praestantissimos, mediumque tenere inter Aeschylum et Shakespearium. Quorum alter numen divinum tale per tragoedias pertexuit, ut dii, quidquid grande, augustum, severum ex veterum religione duxerant, id retinerent, ita quidem, ut eorum numen, ac fatum in iis repositum certo quodam modo ab hominum actionibus seclusa essent, et tum potissimum cernerentur, quando portentose super mortalibus suspensa essent, aut uno quasi ictu desuper laberentur. Contra in Shakespearii tragoediis summa vis et actio in eo posita est, ut homines, prout egerint, ita sortis suae fabros esse doceatur. Fatum igitur in ipsis agentium moribus atque etiam in rerum externarum conditione varie nexa situm est, ut, ubi agant homines, ibi statim exordiatur fatum. Euripidi vero quum numinum illorum, grandi severitate ab Aeschylo per tragoedias conformatorum, vis incertior esse coepisset: huic magnum sane discrimen exstitit, ne mythos retinendo altiorem nexum, in deorum numine adumbrando positum, tolleret; ac saepenumero, licet summo ingenio ornatus, infirmior fuit, quam qui istam difficultatem superaret. Quanquam passim superavit faustius, quam pluribus visum est. Nempe quum prae ceteris poetis valeret eorum, quos in scenam induxit, indolem ita *explicare*, ut animum varie affectum proxime ad veritatem exprimeret: hac in re prosperrime versatus, eam artem insigniter probavit, qua Shakespearium constat inter paucos excellere. Hactenus igitur ad hodiernam fatum per hominum mores et actiones illustrandi rationem accessit.

Quod vero *transitum tantum* parasse Euripidem diximus, tenendum est quoque, eum pluries, in Bacch. utique, prospero successu pressisse *Graecitatis* vestigia. Supra. (p. 25.) attigimus, in Graeca religione singulorum deorum vim ac significationem adeo praevaluisse, ut, quot dii, tot essent Numinis Supremi notiones. Iam, licet Euripidi istorum deorum notiones labi coepissent, ut grandem, quem credidit Aeschylus, deorum nexum nec ipse intueretur, nec per tragoedias efficeret: tamen non adeo a diis popularibus descivit, quin singulos quoque retineret. Atque quum Graecae religionis id proprium esset, ut non, sicuti christianae religionis beneficio, ad unum Numen summum omnium rerum regimen atque exitus referretur, sed singulo cuicunque deo rerum atque actionum moderatio, pro eius quasi provincia, demandaretur [86]): hinc ratio derivanda videtur, cur Euripidi in Bacchabus contigerit toti fabulae argumento divinitatis colorem suffundere. Bacchus secundum Thebanum mythum partes istas agit peculiares. A Bacchi igitur numine religiose abumbrando ille color divinus praecipue petendus erat. Demonstrandum est itaque, Dionysi numen exhibitum esse tale, ut huius dei depicta imagine vis divina, quae ubique emicare debet ex tragoedia, in sua luce poneretur. Attendendum tamen est ad ceterorum quoque deorum notiones, quandoquidem illos ab Eur. in partes vocari necessario oportebat [87]).

86) v. Solger. p. 142. 87) De altera arte, qua Euripidem praeditum cum Shakesp. apte comparari dixi, quum subtilior quaestio sit, quam ut paucis verbis me expedire eam

Quum Dionysus per totam trag. agat praesens atque humana specie conformatus, haud adeo facile fuit miram huius dei notionem accommodate ad Graecorum opinionem maxime receptam exprimere. Quod pluribus de caussis poetae prospere cessit. Ac primum quidem ei succurrit ingenium Graecorum, ut qui prae ceteris quibuscunque gentibus consueverint per humanam formam dignoscere divinitatis ideam, ita ut, modo σύμβολα adessent, divinitatem vel in πλάσμασιν intuerentur. Ita-

---

posse sperem, ignoscas mihi, quod, libellum intra paucarum paginarum spatium retinendum ratus, hanc quaestionem non, ut par erat, in disceptationem vocaverim. — Ceterum si illam necessitudinem Euripidi intercedere cum Shakesp. iure statuimus, caussam simul discernimus, cur Eur. in humanae mentis varie agitatae perturbationibus maximam vim posuerit. Atque quod Iacobs. dixit: „Pentheus' Widerstand ist Leidenschaft" verum quidem est, sed tenendum quoque, ea ipsa in re, quod humani pectoris recessus aperuerit, laudem cerni insignem. Quod vero dixit (p. 389.) „Die Wahrheit des gewoehnlichen Lebens galt Eur. hoeher als die Schoenheit einer Idee" ab hoc quoque vitupetio in Bacchabus videtur vindicandus. Ne multus sim, quo tendat oratio, innuere iuvabit exemplo Penthei. Quem verum quidem est ita esse agitatum, ut vulgarem vivendi usum tueatur, et contra Bacchum pugnando impium se prodat; sed tale quid ex Penthei sermonibus dignoscitur, ut ad ideam quandam revocanda sint ea, quae rex loquitur atque agit (cf. vs. 213. 222. 243—4. 341. 466.), ex eiusque indole emicet veri honestique studium. Ut brevi dicam: sermonibus inest aliquid, quo altius spiret tragoediae argumentum, idque accipiat, quod in aeternum viget, quodque verum ac pulchrum esse inter omnes hodieque convenit.

que quum Eur. *personatum* induceret Bacchum, per tragoediae argumentum addenda adhuc erant indicia, quae mysticam dei indolem, συμβόλων loco, redderent perspicuam. Quod ut apte fieret, aliud poetae commodum contigit, chorum dico; cuius munus quia in eo cernebatur, ut divinitatis scintillam, quam tragoediae subesse oportebat, eliceret: huius partibus utendum erat poetae, ut chori ope patefaceret vim Bacchi ceterorumque deorum divinam. Neque neglexit poeta tale commodum. Ex suo autem ingenio addidit tam insigne illud artificium, de quo p. 15 — 6. diximus, quam talem tragoediae tenorem, quo mystica Bacchi natura eiusque et ceterorum deorum numen clare eluceret.

De Bacchi igitur numine pauca addamus haec: duplex quiddam effici oportuit: alterum, ut ipsius dei notio in sua luce collocaretur, alterum, ut, quodcunque secundum Thebanam fabulam ab eo profectum erat, id vere Dionyso auctore evenire cognosceretur. De notione autem dei quum supra passim exposuerimus, iam inquiramus, num alteram artem poeta calluerit. Hic etiam atque etiam animadvertas, tragoediam eo colore distinctam esse, quo Bacchum esse ubique praesentem percipiatur. Statim in prologo dei et maiestatem et consilium tali modo poeta adumbravit, ut vel non conscii ad deum praesentem referamus, quae in sequentibus eveniunt (v. p. 31 - 2.). Verum etiam in fabulae progressu poeta huic rei prospexit. Sic quum chorus in parodo (vs. 85.) ἴτε Βάκχαι, ἴτε Βάκχαι, Βρόμιον κατάγουσαι Ἑλλάδος εἰς εὐρυχόρους

ἀγυιάς, cantaverit, et sancto vaticinio[88]) vs. 117. auguratus sit: αὐτίκα γᾶ πᾶσα χορεύσει: quis tandem, audiens Penthei illa (213 sqq.):

κλύω δὲ νεοχμὰ τήνδ' ἀνὰ πτόλιν κακά·
γυναῖκας ἡμῖν δώματ' ἐκλελοιπέναι sqq.

non intellexerit Bacchum, licet auditoribus non conspicuum, adesse in Thebarum urbe, omni qua insignis est divinitate utentem! Deinde animadvertendum est, quam eximia arte Eur. effecerit, ut ex simplici nuncii sermone (vs. 427 sqq.) quisque deum cognoscat hilaritate lenem (432 — 3.), eundem maiestate gravem (434)[89]). Quale per tertiam partem numen Baechi depictum sit, supra exponere studuimus. Quartae partis summa vis etiamsi cernatur in Penthei vesania illustranda, tamen simul dei praesentis numen dilucide cognoscitur, quoniam, quaecunque rex insania abreptus dicit, ea Bacchicum afflatum produnt, ut Horatianum illud: *quo me, Bacche, rapis tui plenum!* in Pentheum cadat, modo parodicum sensum subdas, non comicum illum, sed in triste conversum. In prima quintae partis scena, qua Penthei nex narratione depingitur, a deo praesente quidem truculentum istud facinus proficiscitur, sed in miraculo illo (vs. 1076 sqq.), quod personato deo inepte tribueretur, ob egregiam orationis compositionem (v. p. 20.) dei forma ex audientium imaginatione evanescit, et in divinitatem humana forma carentem evadit[90]). Neque tamen hinc fit, ut spectato-

---

88) cf. vs. 295 sqq. 89) v. et vs. 851, coll. 375 sqq. 90) vs. 1069 — 70. 1080.

res deum in altis coelestium recessibus exinde versari fingant; sed ex toto nexu mystica Bacchi mentibus informatur notio, qua *praesens* quidem thiaso suo *adesse* putabatur, sed formae humanae non adstrictus fingebatur. At, ecce poetam sub finem tragoediae ab ingenio suo deficientem, ut qui iterum non potuerit, quin ἀπὸ μηχανῆς admoverit deum! Ad deum ex machina quod in universum attinet, confitendum est, Euripidem, quippe qui *novies*, nisi fallor, deo ex machina arcessito solverit fabulam, artificiis, quae a genuina fabulae solutione abhorrent, sane usum fuisse. Attamen est, cur vitium istud non castigemus acerbius. Reputandum autem praecipue est, Graecos fuisse eorum, quae in rebus dramaticis usu venissent, mire tenaces, nec abhorruisse a pluribus rebus (in re scenica utique), quae hodie displicent. Graeci itaque (qui e. g. κωφὰ πρόσωπα, διῃρημένα τὸ στόμα καὶ κεχηνότα παμμέγεθες nihil quidquam ore proferre, quum per magnam tragoediae partem adstarent [91]), non aegre ferebant; qui e. c. in Aiace Sophocleo, externis loci indiciis parumper mutatis, consueverant litus marinum sibi fingere, tentorii licet vestigiis in σκηνῇ remanentibus [92]); qui in vario ἐκκυκλήματος usu non offendebant; qui binos ternosve actores quinque, sex, septemve persona-

---

91) v. Boeckh. Trag. Princc. p. 96—7. 92) etiamsi *catablematis* litoris prospectus exhibitus esset, quoad cetera coniiciendum est scenam non fuisse mutatam, ita ut indicia tentorii in σκηνῇ manserint. Quidquid periactorum catablemata repraesentarunt, σκηνὴν non reddiderunt diversam atque antea fuit.

rum partes sustinere sinebant), sed Graeci, credo, rem haud ita alienam a tragoedia iudicarunt, si deus ἀπὸ μηχανῆς allaberatur [93]). Cererum modo machinam illam, lepida Aristophanis cavillatione in ludibrium versam, non magni facias, Bacchus apte denuo advenit in scenam. Namque quum Cadmi Agavaeque sors, qualis post Penthei exitium foret, a poeta illustranda erat, tum Bacchi, quo auctore res Thebanae in integrum restituebantur, numen sub finem denuo delineandum. — Ex machina autem quod deus admotus esset, in hac certe tragoedia ne offensiunculae quidem Graecis fuisse coiiciendum est tam ex Graecorum indole, qui deorum formam consuevissent fingere humanam, quam ex tragoediae argumento ita comparato, ut deus nec, ut alias, undecunque adesset, nec eam solam ob caussam, ut nodos per tragoediam nexos discinderet, arcesseretur.

Ceterorum deorum numen in Bacchabus in universum religiose adumbratum a poeta esse etiam VV. DD. visum est [94]). Quod Penthei nomine dubitationes de Bacchi numine inseruit, in his non nisi Penthei indolem, quam ex mytho ille traxerat, depinxit, ipse non dignoscitur deorum contemptor. Quod vero vs. 272 sqq. Tiresiae ore profert ratiocinationes, quae sophisticam tum temporis philosophiam redolent, ignoscas, velim, poetae, qui, quum ipsi labi coepissent deorum popularium notiones, vel invitus in tragoediis patefecerit θεοκρασίαν illam, ex qua denique profecta esse constat divina Platonis de Deo praecepta.

Denique ipse iudices, num etiam tota Bacchaorum compositio, singulis tragoediae partibus inter se conspirantibus, poetae artem doceat fuisse insignem. Quod tenuibus quibusdam lineis in secunda commentationis parte demonstrare studui: qui-

---

93) Ceterum Aristotelis dictum (Poet. XVIII 12—3) ita conformatum est, ut ne suspicio quidem exsistat, Eur. *omnino* ab eo castigari, quod deum ex mach. usurparit. 94) v. Ed. Muell. „Eur. Deor. Popul. contemptor". p. 18.

hac si minus tibi persuaserim, id suspicor ne huic libello (quo eum, qui recenti fervidae huius tragoediae lectione incaluerit, non refrigerari vix posse doleo) tribuendum sit, non tragoediae.

THESES.

I. *Euripidis Bacchae c. Ol. XCIII. 1. in Pieria Macedonica datae, nec est, cur cum Boeckhio duplicem huius tragoediae reconsionem statuamus.*

II. *Heraclitus Persarum dualismo nihil acceptum refert.*

III. *Atheista exstitit nullus.*

IV. *Non stat Schlegelii illud: veterum Graecorum esse hilaritatem, recentioris aevi gentium tristitiam.*

V. *Nihil pulchrum, nisi quod ex arte est profectum.*

VI. *Propert. Eleg. II. 22, 43 — 24, 17 in unam existimo esse consociandas, aliter tamen, quam a Lachm. factum, explicandas.*

VII. *Pindarus in Ol. III. 42. (75) verbis:* εἰ δ' ἀριστεύει μὲν ὕδωρ, κτεάνων δὲ χρυσὸς αἰδοιέστατον *non respicit ad Ol. I. exordium.*

VIII. *Aegyptus, nulla Graeciae antiquitus magistra.*

IX. *Cimbri, qui cum Teutonibus annis 113 — 102 a. Chr. plures deinceps clades Romanis inflixerunt, Germanicae fuerunt originis.*

X. *Floruit Roma Marte suo, Musis alienis.*

Disputatio instituetur die Martii nono.

Opponentium partes agent:

Dr. Beutler, Assessor.
J. H. W. Tiemann, theol. stud.

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.